

*Tacitus quoque lib. 12. Annal. fin. tradit, Neronem castris illatum promisso donativo Imperatorem esse salutatum. Fraude ad Regnum pervenit Semiramis, de qua videatur Justin. lib. I. Memorabilius Exemplum est Lesci, de quo Herbottus in Chron. Polon. c. 8. l. 1. Premislao vitâ functo, exoritur nova de Principatu contentio, cumque nullus appareret ambiendi modus & finis, placuit, rem fortunæ committere. Indictus est itaque ad certum diem maculosorum equorum cursus: qui primus ad metam pervenisset, ejus Dominus Princeps ut esset. Erigitur meta ad Prandicinum amnem: affunditur ad spectaculum ingens hominum multitudo. Ibi Lescus quispiam Competitorum unus, cum stadium vafro consilio (straverat enim clam in sabulo ferreos acutos stylos, quibus currentium equorum pedes irretiret: ) impedivisset, primus ad metam obliquo & minime impedito tramite pervenit. Munierat autem & equi calces ferreis soleis, ut si fortè cum impetu currens in eos incidisset, non offenderet in stylis, cum reliquorum equi, de more illius temporis, soleas nullas haberent. Illius itaque rei prorsus ignavis omnibus, & miraculo attonitis, jamque victorem & Principem (quasi divinitus sibi oblatum,) Lescum proclamantibus, techna deprehenditur; protrahitur Lescus in medium, convincitur, damnatur. Hæc ille.*

XXIV. Huc jam ades Machiavelle, & aspice messem, quam ex fraudibus & stylis disperfis lucratur Lescus. Aspice, quæso, quod fraus illum ad regnum, à regno in momento ad carcerem, è carcere ad mortem pertraxerit, & desine docere, astum ad regnum perveniendi optimum esse modum, nisi forte cæde discipulorum tuorum delectaris. Malè partum, malè disperit. Bonifacius IIX. intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis. Rectiora verò sunt tutiora.

XXV. Sed via non tantum ad Imperium, sed & ipsa hujus administratio debet esse recta. Hinc debito modo accipiendum est illud, ut sic loquar, Majestatis privilegium, quod definitionem meam claudit: *Majestatem scilicet solutam Legibus esse.* Nimirum disting. inter Leges Majestate superiores, & inferiores. Legibus superioribus non soluta est, quamvis inferiores eam non cogant.

XXVI. Indeque patet, Principem I. non esse solutum legibus Divinis moralibus. Nam his Principemolvere velle, planè impium est, cum creatura non sit soluta legibus Creatoris, quas hic illi præscri-